



A
8



caja 2 A=9 C=5

caja
CINISA 5

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
— GRANADA —	
Se's	caja 2
Estancie	
Número	8

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

COPIES
of

COPIES
of

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely from the 18th or 19th century. The text is mostly obscured by fading and bleed-through from the reverse side of the page.]



PROPOSITIONES THEOLOGICAE RECITATIVE PROPOSITAE.

Cases 2. & (12)
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13

DILUVIUM Noë non omnem omnino terram, sed habitabilem, vel habitatā ab hominibus, & animantibus occupasse, docent Suarius 3. de opere sex dierum cap. 6. & Vazquez apud Turrianum in selectis centur. 4. dub. 31. qui hanc propositionem a censura liberat. Idem tenet Propocius allegatus a Sixto Senensi lib. 5. annot. 13. & quotquot cum D. Thoma quaest. 5. de potētia art. 5. ad 17. & 1. p. q. 102. art. 2. ad 4. dicunt, non esse antipodis ob impenetrabile ex calore torridā Zonam. Ecclipsim illam vniuersalem tēpore passionis Domini non habuisse vniuersales tenebras simultaneas in hoc hemispherio, sed eas solūm quas Lunæ interposita opacitas causari potest, docuere iam olim Dionysius Areopagita in literis ad Polycarpum, & Apolophanem, & S. Aug. & S. Ambrosius apud Salmeronem tom. 10. tract. 42. quorum mentem a censura mala notæ liberat Turriaus vbi supra dub. 30. & sequitur Maldo. in 27. Matthæi, Albertus Magnus in 27. Lucæ. sanctus Thomas 3. p. q. 44. art. 2.

Eos qui supernixerint mortuo Antichristo nunquam morituros docent vniuersi ferè Ecclesiæ Græca Patres, quorum sensum probabilem existimat D. Thomas 1. 2. q. 81. Suarius verò tom. 2. in 3. p. disp. 50. sect. 2. ait temerarium esse prædictam doctrinam censura afficere, quem sequitur Turrianus vbi supra dub. 29.

De anno, die, & hora futuri vniuersalis iudicij nihil Apostolos per reuelationē, aut certam notitiā sciuisse docuit Iesus Matth. 24. Propterea Cornel. in 10. ad Hebræos, Maldonat. Mat. 24. ex Beda, & Hieronymo, quibus addere potuisset S. Thomam in eundem locum, & Augustinum epist. 80. sentiat Apostolos aliquandiu in eo errore fuisse, vt existimarent, aut dubitarent ex priuata opinione (quam nunquam veluti Apostoli, & Magistri docuerunt, aut scripserunt) diem iudicij, & aduentum triumphalem Domini, suā ætate, aut sæculo futurum, aut certē simul futurum vrbs Ierusalem, & totius orbis excidium.

Mariam Matrem Domini sepultam in Gethsemani indubitatum est, tum propter autoritatem Damasceni, Bedæ, Sophronij, Euthymij, Turonensis, & aliorum, quos referunt, & sectantur Castro in historia Deipara cap. 21. Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 2. 1. sect. 2. tum propter legendas Ecclesiasticas Breuiarij Romani, & ordinarium terræ sanctæ, & traditionem quindecim sæculis acceptam, & conseruatam.

Indubitatum est, & certa fide tenendum torrentem Cedron, qui hortum Gethsemani, idest sepulcralem agrum Annæ, Ioachimi, Iosephi, & Mariæ continebat, destinatū fuisse magna ex parte in tumulos vulgi ignobilis, quod ex Ierem. 26. & cōmunibus itinerarijs, & geographicis tabulis terræ sanctæ manifestè cōstat.

Fide Catholica credendum est Iesum frequēter conuenisse cū discipulis suis in Gethsemani, ex 18. Ioa. c. & Lucæ 22. at hūc frequentē conuentū fuisse, vt orationi, & diuinis colloquijs incuberet simul cū discipulis sine lesione fidei saltē illa quæ in temerarijs propositionibus inuenitur negari nō potest, cū sic Patrum, & interpretū cōmunis sensus iudicauerit, notās quod extra vrbes solitus esset Dominus in oratione pernoctare.

Christus per virtutē magnanimitatis potuit intendere, & querere magnos honores, & gloriā apud homines, & illis verbis vt Ioan. 17. *Pater clarifica filiū tuū. Nunc clarifica me tu Pater.* Definitio magnanimitatis ab Arist. posita, & a D. Tho. 2. 2. q. 129. & vniuersa schola probata id cōmendat. Sāctos etiam viros famæ, & gloriæ inter ipsos homines consequendæ naturali desiderio tanquā stimulo virtutis vt posse clarum fit ex pluribus scripturis, & Patribus a Ruiccio disp. 35. de prædestinatione sect. 8. ex nu. 10. Magnanimitatē verò nō esse humilitati aduersam, imò neq; diuersam adæquate ab illa aiunt Vazq. 1. p. disp. 235. c. 4. Turriaus 1. p. sect. disp. 27. Aegidius Rom. 2. p. lib. 1. c. 25. & alij. Sic cū ait Iesus, *Ego gloriā meam non quero* de gloria per vindictam, aut illicita media cōquisita ex grauiorum interpretum expolitione intelligendus est.

Deus fuisset personarū acceptor, si beneficia, quæ iustitiā sapiūt, non æqualiter distribueret ex innumeris quæ affert Ruiccio disp. 18. de prædest. sect. 2. at nō fuit personatū acceptor quod in lege veteri ratione statutus seruitutis minora interdū delicta grauisimis penis iudicialibus ex diuino iure constitutis plectat Exod. 21. 22. 23. cū tamē in Euāgelio, ratione status gratiæ etiā pro delictis enormibus nullam iudicialem pœnam ex diuino iure constituat, sed eam taxandam Ecclesiæ præfectis relinquat ex D. Thom. 1. 2. quaest. 108. art. 2. ad 4. & communi Theologorum sententia.

Biblia vulgari lingua non est permittenda ex decretis sanctæ sedis; neque disputationes de rebus controuersis cuius hæreticis nostri temporis. Præter hæc nullus est locus scripturæ, nullum Ecclesiæ mysterium ex alijs, quod seruata prudentia, & consideratis circumstantijs nō posita Doctōribus cū declarationibus, commentationibus, & illustrationibus vulgari sermone proponi. Certè per Canones Pontificios, & indices expurgatorios Hispaniæ nihil in hac re determinatur prahibitum, aut exclusum. Totam hanc rem latissimè illustrauit, & probauit Gretserus tom. 2. pro defens. Belarm. lib. 2. c. 15. & 16.

Quod primo die nascentis mundi terra nō habuerit vllas superfundas aquas, sed omnes in caernis inclusas, vq; ad diē secundū, vel finē primi in quo vniuersam terræ superficiē operuerūt, docēt S. Hier. Beda, Philippus, & Gaspar Sanc. in 38. Iob. vers. 8. & plures alij. Id problematicè defendit ex Aug. S. Tho. 1. p. q. 69. art. 1. ad 2. in illis verbis: *Non oportet dicere quid terra primo esset cooperta aquis, & post modum congregata.*

Quod Angeli in Emphyreo cælo creati nō sint probabile credit Vazq. 1. p. disp. 225. c. 2. & probabilius arbitrat̃ur Suarez 1. de Angelis c. 3. n. 6. ex antiquis Rupert. lib. 1. in Genes. c. 11. & S. Aug. allegatus a S. Tho. 1. p. q. 61. art. 4. Succurrunt dictæ propositioni Nazianz. Basil. Hiero. Hilar. Ambr. & alij innumeri qui existimant ante cælorum creationem Angelos fuisse conditos: idest antequam fuisset Emphyreum cælum.

Quod nō pro omnibus, & singulis Hebræis quilibet sapor ad nutū emerit in manna, sed pro filijs duntaxat, & iustis, docuit Aug. 2. retract. 20. Greg. 6. moral. 19. Orig. & Hiero. quos sectatur Saliannus anno mūdī 2544. nu. 305. Barradas, Viegas, Salmer. Conimbric. & alij plures, quos Lorinus allegat Sapient. c. 16. & fauet S. Thom. quaest. 73. art. 6. tertiæ partis. An verò id priuilegium iustorum perpetuum fuerit disputant alij.

Non con
testata ne
probata pe
teret

Sicut pri
ma

Sicut pri
ma

Sicut pri
ma

Admissa
a reo. vt
dicta in
hoc nume
ro
Sicut 5.

Sicut 5

Sicut 2

Sicut pri
ma

ex libro
de placitis

ex lectu
ra in ge
nesi in et
conclusio
nibus in
genesi -

ex conelu
sionibus in
genesi

ex lectu
ra in libro
dum est
clausonab
compressis

Quodcumque in hac pag. 37. et proximè sequentibus 38. 39. 40. quadraginta. Quod
numeris comprehenduntur in prima et secunda accusatione iudiciali propo
sunt Ioanni Baptistæ Rozel - Num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 21. 23. 25. 26. 27.

Quod ea columna, quæ duxit filios Israel quadraginta annis, immota extiterit, docuit Abul. 15. Num. q. 2. & c. 20. q. 1. & c. 2. Deuter. & sæpè alibi. Cornelius in hac re Abulensem sectatur in 20. Numer. vers. 1. id vt probabile refert Barradas 7. itinerar. c. 6. & lib. 3. c. 1. imò còmune placitum est quadraginta mansiones, quæ solùm referuntur in Scriptura, peractas esse primo, secundo, & quadagesimo anno egressionis ab Aegypto, ita vt 38. annorum nulla sit alicuius mansionis mētio, vt ait Hugo Num. 20. Fonseca allegatus à Saliano anno 2563. Erat tamen populus semper vagus in portando ligna, aquas, manna, & alia. Præterea vagus dicebatur propter incertas sedes. Salianus anno 1548. ait annos 35. peregrinationis silentio obuolui. Hanc quietem postulabat prægnantium, & parturientium fæminarum, & infirmorum, & moribundorù, & morientium quotidiana multitudo. Pro breui illo tempore quo expeditiones quadraginta mansionum durauerunt, factum est illud miraculum à Propheta relatù: Non erat in tribubus eorum infirmus, non absolutè pro toto tempore quo quiescebant. Sic quidam opinantur quos solum recitatiuè allegamus: ex supputatione mansionum efficacia, & plura ducunt argumenta.

ex secun
ra in lra
dum ex
conclusio
nibus im
pressis

15 Quod præter tres principales aureolas Virginitatis, Doctoratus, & Martyrij, alia sint minus principales corollæ, seu aureolæ, docet Aegid. 2. Præsent. tom. 3. lib. 3. q. 9. n. 2. S. Tho. in addit. ad 3. p. q. 96. art. 1. ad 2. & hanc esse mentem quorundam Thomistarum scribit Salas 1. 2. q. 4. tract. 3. disp. 8. sect. 3. idem ait expressè S. Thom. suprâ art. 1. & ab hoc transcribit Abul. c. 13. Matth. q. 23. & 25. & alij.

ex conde
nibus
impressis

19 Quod potest esse ignorantia inuincibilis de mendacio in aliquo casu, ait Vazq. 12. disp. 122. c. 2. & addit id verum esse etiam circa mendacium iuratù. Suar. lib. 2. de superstit. c. 6. ait Brasilius aliquandiu per ignorantia inuincibilem de idololatria excusari, & eandem ignorantia de diuinitate esse posse ait S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. atq; in vniuersum de aliquo præcepto naturali posse esse ignorantiam inuincibilem, ait Azor tom. 1. lib. 3. c. 13. q. 1. Valentia 12. disp. 6. q. 6. puncto 1. Sanchez lib. 1. sum. c. 16. Suar. disp. 17. de fide sect. 2. Si Rahab ex fama prodigiorù Aegypti iusta erat ante aduentum exploratorù in Iericho, vt Salmer. 2. Iacobi existimat, decet, vt si fieri possit ex ignorantia inuincibili excusetur à malitia mendacij, quèadmodum S. Iren. lib. 4. c. 5. filias Loth excusat ab incestu: idem credit Ambr. lib. 2. de Abraham, Theodor. Genes. 19.

secut. 15
pro me
relata

17 Qui in sancta, & legitima fuga persecutionis còtra fidè excitatè moriuntur in solitudinibus errantes, fame, aut frigore, aut latronù manu, aut aquarù fluctibus, martyres sunt. Qui in exilio pro Christo vitâ finiunt cum gratia gratù faciēte etiã martyres sunt. Qui post grauè mutilationē pro Christo in gratia moriuntur martyres sunt. Prædictæ triplicis propositionis doctrina clarissimè, & sæpissimè est in Martyrologio Romano præsertim 22. Decembris die, quã probat Cyprianus epist. 56. cuius verba refert, & sequitur Suarez lib. 6. contra Regem Angliæ c. 11. à nu. 19. Adnectit Aug. & Chrysostr. atq; id ait Theoph. Raynaud. de martyrio p. 2. c. 1. & alibi sæpè, & expressè S. Tho. in 4. dist. 45. q. 5. art. 3. ad 7.

ex libro
de marty
rio ex con
clusio in
his impres
is

18 Quod martyres ante canonizationē de lege ordinaria possint esse in purgatorio, & similiter adulti recēs baptizati, quia de lege ordinaria possunt mori cù venialibus nò retractatis, docet plures cù Henriquez lib. 2. de baptismo c. 36. & Theoph. Raynaudo 3. p. de Martyrio c. 16. sic expressè docuit S. Tho. 3. p. q. 87. art. 1. ad 2. atq; idem ibidem Caietanus, & omnes Thomistæ sectantur. Quod dicitur ab Aug. iniuriã facit Martyri, qui orat pro martyre, intelligendum de canonizatis solùm, aut vindicatis, siue sint Martyres, siue non, vt ait Innoc. 3. c. cum Marthæ de celebratione Missarum, Bellarm. lib. 2. de purgatorio c. 18. Suarez lib. 1. de orat. in communi c. 14. & succurrit exemplum S. Paschasis die 31. Maij apud Gregor. 4. dial. c. 40. 41.

si cū pro
xime rela
ta.

19 In Eucharistia esse partem aliquam sanguinis sanctissimæ Virginis cù eadem numero forma substantiali, quæ fuerat in venis ipsius, dicēt plures Philosophi, Medici, & Theologi, supposita opinione probabiliori S. Tho. Arist. & aliorù quod sanguis nò viuat: & supposita alia opinione pluriù Philosophorù, & Medicorù, quod partes primigeniæ nunquã amittantur, sed magna saltè pars eiusdè carnis, & sanguinis maneat, veluti fundamentù filiationis, vt aiunt Mercurial. tom. 2. tract. de morbis hæreditarijs. Fracast. 2. de contag. cù pluribus; & supposita opinione còmuniore, quod Christus reassumpsit in resurrectione omnè effusum sanguinè, quã tenet Suar. 3. p. tom. 2. disp. 47. sect. 3. cù S. Tho. ibidem q. 54. art. 2. Vazq. 3. p. disp. 36. c. 8. ex mēte expressè S. Athanas. supposita tandem còmunissima sententia Medicorù cum Andrea Laur. lib. 8. c. 6. q. 24. dicentiù sanguinè venalè, & arterialè Matris infetù migrare sine mutatione formæ substantialis; & consequenter totù sanguinè venalè, & arterialè paruuli recens nati fuisse cù eadè numero forma substantiali in venis, & arterijs matris; ijs, inquã, suppositis, magis più, magisq; probabile creditur à nonnullis Christù in Eucharistia habere magnã partē sanguinis venalis, & arterialis, què extraxit ex utero Mariæ, cù eadè numero substantiali forma, quæ fuerat intra venas Virginis, licèt cù diuerso supposito, scilicèt diuino, cui vnuebatur vbi primù à venis Deiparæ transibat per vmbilicarè tramitè in venas, & arterias Christi. Singularitèr hæc doctrina defenditur ab aliquibus pro sanguine effuso in circuncisione, què resurgens Iesus assumpsit sub eadem forma, ex Suar. d. 47. sect. 3. Quando verò aliquid ex dictis nò admitteretur, saltè ex còmuni Theologorum dicentium in 4. dist. 44. partes primigenias deperditas carnis, & sanguinis assumēdas in resurrectione, fieret multam materiam acceptam à Iesu ex Maria nouem primis mensibus, & multam eiusdem sanguinis partem in resurrectione restitutam esse, quæ nunc in Eucharistia perseueret.

ex lib.
3. elui
darius tra
ctatu. 17.
18. 19.
20. 21.
et libro
de mouen
ter

20 Veros Prophetas interdum reuelationes esse à Deo arbitrari, cùm tamen ab eo datæ non sint: interdum legitimas reuelationes cœlitùs immittas non intelligere, atque tum ex ijs capitibus, tū ex alijs falli, aiūt S. Tho. 2. 2. q. 171. art. 5. ex Greg. Mag. Abul. Deut. 18. q. 7. Lorin. ibid. Cornel. probhæm. in proph. maiores, q. 2. ex Aug. 7. de ciuit. c. 32. Amb. 1. de Abrah. c. 8. Suar. tract. de fide disp. 8. sect. 4. Si quando tamē vniuersales Propheta decipiebantur, eos Dominus admonebat, & corripibat, ne fraus in canonicas prophetias, & doctrinas irreperet.

ex libro
de mouen
ter

21 Nulli ordinario ministro Verbi Dei licere in publicis concionibus Prælatos aliquos Ecclesiasticos, vel seculares, vel alios ipsis subditos, & cõmissos reprehendere, habetur latissimè in Concilio Coloniensi parte 6. c. 15. 16. 19. & sæpè aliàs. In Concilio Senonensi c. 36. Mediolanensi 1. par. 1. & alijs pluribus, præsertim Lateranensi sess. 17. quam doctrinam Treuentis Synodus in terris Principum Christianorum seruari iubet

ex apo
logia libro
1. cap. 13
et sequē
etiam

etiam quando concionatores nonnulli hæreses, aut errores prædicassent. Tunc concionatores alij Episcopis, & Inquisitoribus crimen reuelari mandat, non verò è pulpitis euulgari. Hanc assertionem plures Theologi, & Summistæ, & Iuristæ, & Religionum Canones commendant.

22 Doctrina fuit Abulensis in 15. Matth. q. 28. quòd nunquam Dominus Iesus in suis concionibus aliquem statum, aut personam particulare acerbioribus, aut asperioribus verbis perstrinxerit veluti prædicator, sed vt reus. Pro huius doctrinæ expositione, quã recito solùm, & expono, excipe primò ex mente huius Doctoris reprehensiones, quæ in priuatis colloquijs à Christo, vt à Patre familias extra concionem emanabant: excipe secundò reprehensiones in disputationibus contra Scribas, Phariseos, Sadducæos, & Herodianos; nam disputare, & concionari diuersa sunt, nemo disputantem hominem concionantem appellauit: excipe tertio reprehensiones Christi in prophetijs, & miraculorù prodigijs, quæ ab eo non tam, vt à Doctore, & Magistro publico, quã vt a Propheta, & Deo proueniebant; excipe quartò reprehensiones ipsius vt Dei, vt Pontificis, vt Iudicis supremi; hæc si præstes, & excipias colloquia priuata, & disputationes publicas, & annexa prophetijs, & miraculorum virtutibus, quæ in proprietate sermonis conciones dici nequeunt, inuenies nullum è quatuor Euangelistis reprehensionem aliquam Christi contra priuatum statum, aut particulares personas memorasse in qua se habuerit, vt concionator, & Doctor, sed vt reus in fieri, aut in facto esse, qui proprium honorem tueatur: cætera redargutiones, & reprehensiones Christi omnino extra omnes conciones fuisse contextus Euangelistarum ex antecedentium, & consequentium tenore demonstrabit iuxta Abulensem: quæ docet non in ijs sine discrimine posse ordinarios concionatores munire se exemplo, aut Christi, aut Prophetarum, qui ex singulari imperio, & illustratione Dei reprehendebant. Prophetæ notarij erant Verborum Domini, & tenebantur miraculis propheticum spiritum tueri, si ea postularentur legitimè.

ex ead. apologia ibidem a conclusio nibus in metris

23 Nunquam licere ordinario concionatori asperioribus verbis cõtra priuatas personas, aut status vti, proprietatis ipsa vocis asper declarat: nam ex Ambr. 1. Off. 4. verbum asperum est verbum irritationis, & perturbationis; ex Hieron. in 22. Isai. verbum turbulentum; ex Symmacho in Psal. 90. verbum violentia, contumelia, & iniuria; ex Apollinario ibidem, verbum cum tumultu prolatum. Hanc doctrinam pro Prælati quibus plura licent erga subditos delinquentes, quam concionatoribus erga auditores commendat, ex Aug. S. Tho. 2. 2. q. 72. art. 2. Semper expedit æmulari Deum, cuius serenitatem laudat sapiens illis verbis: Tu autem cum tranquillitate iudicas. S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. q. 3. etiam a fraterna correptione omnem verborum asperitatem, & acerbicatem abesse iubet.

ex ser uandis id falso impoita

24 Ad Angelos pertinere iudiciariam aliquam potestatem in homines docet Theologi cù D. Tho. in 4. dist. 47. art. 2. q. 1. quæstionacula 3. in hac serie Archangelus Michaël supremus est iudex humani generis secundaria potestate iudiciaria ex cõmissione Christi. Primariã iudiciariã potestatem neq; humanitati Iesu cõuenire, docet ex D. Tho. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 52. sect. 1. De secundaria ex cõmissione fatendum est Christum esse supremum iudicem per excellentiam; at Michaël aliter est iudex supremus, & præses nomine Christi, iuxta ea quæ latè persequitur Serarius in c. Iosue 5. q. 45. ex Viegas, & alijs; simul etiam ex Ecclesiasticis officijs.

ex libro uuandi morientis

25 Proprietates nominum, & verborum, ipsorùq; cõmunis vsus securissimas parit assertiones: sic vox Fortune sine Atheismo, & iniuria prouidentia diuinæ est in vsu apud Philosophos 2. Phys. c. 7. cù Suar. disp. 19. metaphys. sect. 12. & apud Latinissimos authores, & Patres præsertim Theologos, i. p. q. de prouidentia. Sic vox diuina, aut diuinissima de rebus creatis, vt gratia, & Maria; & verba consecro, & sanctifico sæpè ad res nõ sacras applicantur, vt patet ex innumeris exemplis apud thesaurum magnum Latinae linguæ, & interpretes Scripturæ sacrae. Ex eisdem fontibus apertum est vocem villa, non pro oppido, sed pro cãpo, aut rustico prædio, aut horto sumi cum dicitur villa Getsemani; sic etiam per enallagen, vt ait Salmer. proleg. 10. quinquagena 2. canon 6. frequenter abstractum sumitur pro cõcreto; vt iniquitas pro iniquo apud David Iniquitas oppilabit os suum, idest iniquus; virtus, & charitas, & gratia, pro ijs qui eas habent: Charitas sustinet, sperat, credit, idest charitate præditus: propterea quanquam quis diceret eximiam gratiam habere pro grauamine, & onere infirmitatis, & naturales imperfectiones, id per enallagè de homine eximie grato intelligèdum esset.

ex libro de phatis et de me moribus

26 Execrandæ sunt illæ hæreses, & errores. 1. Oracione ad sanctos cù Christo regnantes esse inutilem, & perniciosam. 2. Propter aduentum Spiritus sancti in die Pentecostes licitum esse mendacium, & adulteriũ. 3. Sine contritione, & sacramentis peccatores vitam æternam consequi, dummodo sanam habeant, & illasam animalè partem corporis instante morte. 4. Timorem seruilem sine seruitute nõ esse sanctum, nec donum Spiritus sancti. 5. Eos Anachoretas, & monachos, qui ex timore seruili deserta penetrarunt nullo honore canonizationis ab Ecclesia coli, etiã si multum in charitate perfecta creuissent. Hi errores quia insani, & stulti non ex professis per disputationem, & argumentorum conflictum refelli debent in libris, aut concionibus vulgaribus, sed oppositæ veritates, vt certissimæ supponendæ, & declarandæ, quemadmodum contra prædictos quinque errores sapissimè fecit author praxis Hispanicae iuuandi morientes iuxta editionem anni 1632.

Calumni a contra reimonis non pro bato nec contesta

27 In magna auditorum frequentia graues errores prædicasse olim dicebatur Ibas: Pro qua causa ex Concilio Beritensi probata fuit forma iudicij in Concilio Chalcedonensi act. 9. & 10. iuxta nouissimam editionem Coniuentem anni 1618. industria Seuerini Binij. Actione 9. memoratur quatuor accusatores, & testes Samuel, Cyrus, Mara, & Eulogius; ij cõtestantur de erroribus prædicatis ab Iba. Actione 10. pag. 279. eiusdè Chalcedonensis Concilij producuntur quatuor alij Theophilus Diaconus, Euphrasius, Abrahamius, & Antiochus; pag. 281. adduntur quinque alij Clerici etiam, & monachi contra Ibam, Ablaius, Ioãnes, Anatolius, Caiuma, & Abibus; pag. 287. considerata multitudo eorum qui audierant Ibam, ait Concilium necessariũ esse pene omnes interrogari, qui audierant Ibam docentem, aut prædicantem; pag. 288. addit: Quoniã dictum est collectam reuerendissimorum Clericorum multitudinem, quando hæc religiosissimus Ibas docuit non suscipimus trium testium, qui à vobis deducti sunt, voces. Docet Synodus in re ad eò publica tres contestes nihil probare, si non totius ferè auditorij consensus adsit. pag. 292. leguntur literæ Cleri qui Ibam audierat: in eis dicitur: Neque ab eo, neque ab alio illo tale dictum audiimus, neq; in aures nostras ingressum est. In eadem actione proponitur epistola Iba ad Marim Persam, in qua opposita doctrina continetur illi, quæ ipsi imponebatur.

nebatur. Pag. 295. & 296 & 297. tres legati sedis Apostolicæ, & magna Episcoporum multitudo Ibam ab-
soluunt propter epistolam ab ipso scriptam ad Marinum Pertam errores illos condemnantem, & declarat Con-
cilium septendecim illos Clericos, & Monachos accusatores, & testes nihil probasse contra Ibam. Tantum
valuit unius manuscripti authentici veritas in defensione Iba apud Concilium. Valerent magis plurima,
sepius ingeminata, & excussa, quæ obiectos errores condemnarent, si præsertim eo ipso tempore fuissent
euulgata, quo aduersarij eisdem errores assertos esse testabantur.

Ex Concil. Constant. et literis Sixti IIII. et Pij V. et alijs pluribus à suspecti sunt de Fide Catholica, qui
probabiles Doctorum opiniones mala censura afficiunt: nulla sententia graues authores pro se habens est
antiquata, nisi per decretum Pontificum, aut euidens argumentum antiquis non cognitum.

Non omnia scientiarum arcana ab antiquis fuisse penetrata, sed in nonnullis vinci à recentiorum sapientia,
quia vt ait Abul. prol. in Matth. q. 5. illi non ita bene, verè, & completè tradiderunt nonnulla, latè probant
Caietanus 12. q. 1. art. 7. Bannez ibidem Catharin. lib. 2. de Conceptione, & lib. 1. contra Caietanum: pro
hac propositione supra quadraginta grauisimos authores retulit Paulus Sherloquius anteloquio 4. in Can-
tica, sect. 12. & 13. & plures alios Author de Placitis in prologo.

Quod sepius cum laude in controuersijs extra fidem liceat addere, & innouare, & immutare probat
ibidem toridem ferè testimonijs idem Sherloquius. Author verò de placitis in prologo intèro 2. supra qua-
draginta quinque authores pro eadè propositione recitatiuè duntaxat retulit: atque ibidè plura de nouo ab
Ecclesia fuisse explorata, definita, & determinata, aut ab authoribus illustrata, multiplici testimonio probat.

Quod Bannez 12. q. 1. art. 7. & Cano lib. 8. de locis cap. 1. Soto 1. de natura, & gratia in prologo, & alij
dicant paulo ante Franciscum Victoriam in tota Hispania minùs fuisse peritos Theologos scholasticos nõ
fuit iniuria, sed lex publicæ veritatis; quemadmodum si quis diceret nunc in ea parum esse sollicitos Hispa-
nos de Geometria, Perspectiua, & alijs quibusdam artibus liberalibus.

Philosophi antiqui plura desumpserunt ex libris canonicis veteris testamèti, & ex traditionibus Prophe-
tarum, quæ scriptæ non erant, vt aiunt Patres cum Iustino orat. ad gentes, Clem. 2. & 5. Strom. Ideò plures
sententias Spiritus sancti suas fecerunt quarum non paucas, refert Euseb. libris de præparatione. Plato in ijs
excellit, vt habetur ex D. Tho. 1. p. q. 66. art. 1. & q. 74. art. 3. & alijs: id circo S. Dionysius, qui non paucas
phrases, & clausulas desumpsit ex Platone, vt ait S. Tho. prolog. in Dionysium cum alijs, id fecit quia ille à
magnis prophetis desumpserat: atque idem iudicium est de nonnullis sententijs Christi, quæ in antiquis-
simis Philosophis reperiuntur.

Logicam, & Philosophiam huius sæculi plurima tractare, quæ superflua sint ad absolutum perfectumque
Dialecticum, & Philosophum constituendum docet plurimis quæstionibus numeratis, Can. lib. 9. c. 7. atque
idem pro Theologis sui aui scribit lib. 8. c. 1. cù Soto præfat. lib. 1. de nat. & gratia: alij plures sic iudicant.

Trasfiguratio Domini à multis cum Salmer. tom. 6. tract. 33. negatur esse miraculum.

S. Augustin. in retract. monet. non pauca ipsius monumenta scripta esse ab ijs, qui eum cõcionantem au-
diebant, quæ tamen ipse non scripsit, aut dictauit, vt tractatus plures in Psalmos, & Ioannem: id norat, & me-
morat latè Sixtus Senensis, verbo Aurelius Augustinus.

In pœnam, & vindictam de Scribis, & Phariseis locutum Iesum in parabolis obscuris, ait Matth. 13. cap.
iuxta communem Doctorum intelligentiam cum Maldon. ibidem Salmer. tom. 7. tract. 2. An hæc pœna, &
vindieta fuerit ad tempus, vel perpetua; an medicinalis, vel punitiua interpretum quæstio est.

Possunt esse effectus prædestinationis iudicium, scientia, prudentia, complexio, valetudo, Patria, Parètes,
nutritij, educatio, Magistri, amici, aut inimici, vt ex pluribus, & grauisimis testimonijs Scripturarum, & Pa-
trum, & Scholasticorum, probat Ruizzius disp. 24. de prædest. sect. 2. & 3. & nominatim sic sensere Molina,
q. 23. art. 2. disp. 3. Vazq. disp. 93. c. 4. Suar. 3. de prædest. c. 7. Succurrunt autem pro hoc sensu D. Tho. S. Bo-
nauent. Durandus, Paludanus, & alij. Addenda est prædictæ propositioni sequens alia, quæ vicina est; scilicet,
quod naturalia bona quorundam possunt esse effectus prædestinationis aliorum, vt eloquentia naturalis præ-
dicatorum, quod plurimis testimonijs Scripturarum, Patrum, & Scholasticorum, probat Ruizzius tota disp.

25. de prædest. ex qua doctrina fit, veras esse illas propositiones: Philosophia stoica Ecclesia inseruiuit trecen-
tis annis prioribus pro Martyribus prædestinatis, quibus tanquam eorum effectus prædestinationis illius Philo-
sophia dogmata ministrabant. Item illam, Philosophi disposuerunt Gentiles ad suscipiendum Euangelium, re-
mouendo impedimenta non pauca, & illustrando eorum intelligentias pro ijs, in quibus Euangelium cum natu-
rali lumine adaptatur. Item illam, Datur remuneratio, & premium temporale honoris in cathedris, & lectu-
ris multis principibus Philosophiæ Gentilis, pro ijs in quibus prædictis modis Ecclesia inseruierut. Item illam:
Philosophia est donum Dei, & scientia Dei, ut manuducens ad DEVM, quemadmodum ait Paulus 1. Cor. 2.
Nam quia in Dei sapientia, id est Philosophia non cognouit mundus per sapientiam DEVM, &c.

Pro conuincendis Gentilibus, vt patrios errores deserant argumētum à ratione, & Philosophia naturali
aptius est quam argumentum à testimonio Scripturarum quas ipsi nõ reuerentur. Sic clavis ferrea aptior,
& melior est ad aperiendum ianuam, quam aurea corona; hanc doctrinam tradit Ireneus lib. 4. c. 41. dicens
ideò plus omnibus laborasse Paulum cum gentibus, quia non eum adiuuabant Scripturæ. Itaque licet scrip-
tura melior sit, & dignior in se, non tamen melior, & aptior pro conuincenda Gentilibus, qui eis negant
sola ratione ducti, qui circa virtutes morales omnia fere, quæ Christiani nouerunt, et
sermonibus illustrarunt, vt patet ex epitecto, maximo, Dione, et alijs.


Pro conuincendis Gentilibus, vt patrios errores deserant argumētum à ratione, & Philosophia naturali
aptius est quam argumentum à testimonio Scripturarum quas ipsi nõ reuerentur. Sic clavis ferrea aptior,
& melior est ad aperiendum ianuam, quam aurea corona; hanc doctrinam tradit Ireneus lib. 4. c. 41. dicens
ideò plus omnibus laborasse Paulum cum gentibus, quia non eum adiuuabant Scripturæ. Itaque licet scrip-
tura melior sit, & dignior in se, non tamen melior, & aptior pro conuincenda Gentilibus, qui eis negant
sola ratione ducti, qui circa virtutes morales omnia fere, quæ Christiani nouerunt, et
sermonibus illustrarunt, vt patet ex epitecto, maximo, Dione, et alijs.

Ex libro
deplacit
lib.

Sicut pro
x. c. in
intro. 29.

Sicut 29
v. q. ad
finem.

In his quadraginta numeris comprehenduntur septuaginta quinque ex accu-
sationibus iudicialiter propositis. Ioanni Baptistæ Pozæ in tribunali sancti
officij Tolentini - ceteræ accusationes contra lectum manuscriptum pro elucida-
tio transferre elucidarium comprehendunt.





Propositiones

1

5



55



CAJA
2-8